

errore Camillum nominat, liberrimo & perspicaci ingenio philosophus & Medicus. Is igitur tū aliam multa, & Physica & Medica subinde ad examen reuocat, & veterum placita refellit, noua reponens, tum nuper communem illam, & peruulgatam de Cometa origine, ab Aristot. profectā opinionem euertit, atque ad cō diuinationem omnem Astrologicam, quā superstio, & anilis quaedam dementia inuexit, penitus sustulit. Scripsērā ego quoq; ad Cratonem V. Clarissimum, nescio quid de hoc argumento. Confirmauit me doctus ea de re commentariolus tuus mirificè, verū Marcelli lucubratiō accuratior est, et copiosior, ut nihil in hoc genere eruditius, acutius, elegantius, quod equidem sciam, siue à nostris, siue à veteribus scriptum esse existimem. Hanc ego illius commētationem ad te mittere volui, tum ipsius hortatu, qui tui studiosus est, & te, ut debent omnes docti & boni viri, facit pulrimi, tum meo quodam iure. Nam hic liber, & domi meae natus est, & à parente eius mihi donatus. Duplici igitur nomine paternum affectum in hūc illius fœtum indui. Quare non alienum me ab officio meo, & amicitia nostra facturum putavi, si tibi eum inspiciendū mitterē: & maiorem in modum rogarem, ut (quæ tua est bonitas & in tui amātes mutuus amor) accuratè eum legere, & quæ non probabis, summa utriusque nostrum voluntate, tollere, deinde etiam, si dignum videbitur, qui in hominum lucem exeat, ad Pernam industrium, bonum, & doctū typographū amicū nostrū cōmunem, transmittere ne graueris. Leges in eo quaedam de terra calore, contra tuam, & aliorum, & meam itidem sentētiam: quæ tamē, ut omnia alia, ita Marcellus asserit, ut minimè obstinatū philosophū fore intelligas, si firmis rationib. uel à te ipso, quod in primis cupit, uel ab alio aliquo refutētur. Nō enim ignorare potest vir acutus & ingeniosus, si quis alius, hanc totam esse eiusmodi doctrinam, quæ non multum habeat firmitatis, ut sunt alia ferè pleraque, quæ in suis adytis abdita Natura lōgissimè à nostra intelligentia remouit. De quibus, si quis ita in hanc uel in illam partem disputat, ut certa omnia se afferre posse sibi persuadeat, nā ille parum intelligit, quæ certam naturæ contemplatione sint Longè modestius Arist. ipse de toto hoc genere pro-